

Valahfridus (Wilfried Stroh) – De Iano Novák musico poeta amico

Quis umquam credidit aridos Phaedri poetae senarios modis musicis adaptari posse?⁶¹⁶ Qui certe suas Aesopias fabellas recitantibus, non cantantibus scripsit. Nam Aesopus Graecus ille, e quo plurima argumenta Romannus traxit, suas bestias ne uersibus quidem loqui uoluerat, sed prosa oratione – satis bestiali. Vnde equidem cum admiratione legi a. 1981 Augustae Treuerorum⁶¹⁷ *Aesopia* quaedam ad uersus Phaedri a choro symphoniacisque⁶¹⁸ exhibutum iri. Auctorem autem dicebant musicum Morauum, qui de Latinis iam satis meritus esset. Nomen mihi notum erat, opera non ita. Ergo nouarum rerum cupidus in oeco musico Treuirensi adsedi. Nec spes fefellit.

Vt par erat,⁶¹⁹ a lupo et agno Phaedrus sic queri coepit

Ad riuum eundem lupus et agnus uenerant
siti compulsi. Superior stabat lupus
longeque inferior agnus. Tum fauce improba
latro incitatus iurgii causam intulit.
„Cur“ inquit „turbulentam fecisti mihi
aquam bibenti?“ ...



Mira res: Hi erant puri senarii, quales antiquus poeta uoluerat, ad aurium acerrimum iudicium elaborati. Non, ut alii musici in aliis uersibus peccant, aut arsis aliqua prauo nisu tollebatur aut acuta syllaba breuis dilatabatur, sed quantum per musicae leges licebat, syllabarum quantitas et naturalis accentus seruabantur.⁶²⁰ Vt in primo uersu per productionem leuissimam

⁶¹⁶ Vix inter ea numeres canonem Antoni Salieri; cf. Joachim Draheim, *Vertonungen antiker Texte vom Barock bis zur Gegenwart*, Amstelodami 1981, 216; aliud Iani Novák Phaedrianum inuenies in *Schola cantante* apud W. Stroh / K. Kagerer (2020) *Jan Novák 1921–1984*: http://stroh.userweb.mwn.de/novak/jan_novak.htm (inuenitur sub „Wilfried Stroh Homepage“ aut „Jan Novák Werkverzeichnis“, appellau d. 18 Nou. 2020) num. 29. Enumerantur hic omnia opera cum uerbis Latinis et uersionibus Germanicis; praeterea disci et omnia de Iano Novák scripta. Alium catalogum magis ad musicos spectantem praebet Clara Novák sub titulo *Jan Novák*: <http://www.jannovak.eu/index.php?menu=catalogue&lang=ger>.

⁶¹⁷ Ibi intereram tum conuentu (30 Aug. ad 5 Sept.) *Academiae Latinitati foendae*, cuius sodalis sum.

⁶¹⁸ *Aesopia minora: VI Phaedri fabulae ad cantum vocum instrumentorumque (ad usum delfini)*, 1981; in: Stroh / Kagerer (u. adn. 616) n. 2.

⁶¹⁹ Hae est prima fabula Phaedri, quam ob eam quoque causam Ianus Novák primo loco esse uoluit, quia allegoria esset Bohemoslouaciae a Russorum cataphractis a. 1967 crudeliter oppressae.

⁶²⁰ De his rebus Wilfried Stroh, „Metrik und Musik im lateinischen Schuldrama“, in: Stefan Tilg / Benjamin Harter (Hg.), *Neulateinische Metrik*, Tubingae 2019, 149–219.

secundae syllabae uerba mensurae 4/4 accommodantur, postea autem in fine uersus hac mensura diligenter seruata non tamen syllaba prima in *-venerant* augetur, ut a *-rant* noua mensura siue tactus, ut aiunt, incipiat, sed uersu una cum mensura finito efficitur iucundissima syncope, quae musicae iazzicae similior uidetur. Nec solum numeri siue rhythmi me in his *Aesopiis* tenuerunt, sed omnis illa uis melica atque harmonica, quae tam lupi auditati quam agni innocentiae accommodata uidebatur.

Quid multa? Totum me sibi exiguo tempore conciliauit Ianus Novák ut uir tam musicis Musis quam Latinis amicissimus. Quod paulo post in epistula ad illum scripta sic declaraui (epist. d. 24 Sept. 1981): „*hora illa qua primum audivi symphonias tuas Phaedrianas* [i.e. Aesopia] *ita haeret in animo et memoria, ut numquam possit deleri, quin nunc quoque audire mihi videor [...] dulcissimos istos sonos, quos tu mira quadam arte ac sollertia ita composuisti, ut unum quemque verborum affectum facile ac molliter sequerentur.*“

Sed ista postea scripsi. Tum autem, cum *Aesopia* illa primum cognovissem, rem non ad epistulas futuras distuli, sed inter ipsos plausus populi musicum diuinum ad me arripiui, eum mecum uolentem siue nolentem ad tabernam abstuli proximam uinisque Mosellanis ingurgitaui. Quin etiam id ausus sum, quod in nullo homine antea, ut Iano mea sponte amicitiam offerrem. Neque ille negauit, tam uini, puto, quam humanitatis causa.

Ea autem amicitia duratura erat plus quam duo annos usque ad prae-maturam mortem dulcissimi amici.⁶²¹ Nec multum ego eum docere potui, contra ille me plurima. Etiam de uita et moribus. Nam primum me admonebat, ut uiribus magis meis confiderem, neque aliis, sed mihi place-re studerem. Vnde tota mea tam docendi quam uiuendi ratio aliquantum mutata est. Cuius pars non minima erat, ut cum discipulis meis Latine loqui auderem. „*Quid audio?*“, inquit, „*professorem Latinum in Academicis scholis barbara loquela uti!*“ Ergo cum aliquanto post in Italiam iter faceremus eumque timide rogarem, ut exercitii mei causa pauca Italice

⁶²¹ Quae hic scribo de ultimis lani annis, nituntur primum memoria, tum quadraginta quinque epistulis inter nos datis. Multa debeo colloquis longis cum Elissa Novák uidua a. 1985 habitis et statim perscriptis. Vtulis erat etiam pars prima dissertationis Eve Novák (1921–1984); z tvůrčí biografie, in uniu. Pragensi 2013 (in usum meum transtulit Silke Klein), ubi tamen acta non ubique diligenter per tempora distinguuntur. – De operibus lani hic non iudico; cf. cum alia tum haec mea scripta: „Jan Novák: moderner Komponist antiker Texte (primum 1999), in: Inken Jensen & Alfried Wieczorek (ed.), *Dino, Zeus und Asterix*, Manhemii 2002, 249–263; „De lano Novák musico et poeta“ In: Eckhard Keßler / Heinrich C. Kuhn (ed.), *Germania Latina, Latinitas teutonica*, Monachii 2003, 195–215; „De lano Novák musico Latinissimo“. In: *VISVQVE ET AVDITV [...]. Sborník k 80. narozeninám prof. Bohumilu Mouchové*, Pragae 2013, 177–191; „Tricinium poeticum: Josef Eberle, Harry C. Schnur, Jan Novák“, in: Stefan Weise (ed.), *Litterae recentissimae*, Oeniponti 2020, 207–234. Plura inueniuntur apud Stroh / Kagerer (u. adn. 1) sub titulo „*Schriften über Jan Novák*“. Pleraque operum et uitiae lani Nouák monumenta et testimonia seruantur in *Bibliotheca Novaciana* (Novák Archiv) Instituti Philologiae Classicae Uniuersitatis Monacensis, post meam mortem transitura in Bibliothecam Publicam Bauaricam (Bayerische Staatsbibliothek München).

confabularemus – nam eam linguam optime callebat – „*Di melius!*“, clamabat, „*tandem aliquando ego professorem Latinum amicum inueni, ut is nunc ad Italas uoces descendat!*“ Verum est: Numquam inter nos nisi Latine locuti sumus.

Raro ille castigator seuerus me etiam laudauit, ut in hac epistula, quam primam ab eo acceptam seruo (epist. d. 1 Ian.1981). Ex qua apparet etiam, quam ei res metrica et modus pronuntiandi cordi fuerint: „*proh di immortales! Hominem audacissimum et eundem Germanum, qui nos anapaestos non perverse acuere docet!*⁶²² *es unicus id genus homo, cui ego obviam factus sum, propter quod te laudibus extollo, qui aures asininas non habes, et tibi plundo, et non tantum mihi gratissimum erit tecum de his loqui – coram scilicet – sed maxime necessarium.*“

Paulo minus clementer de studiis meis poeticis iudicabat. Nam cum ei elegias quasdam amatorias meas⁶²³ misissem, haec respondit (d. 24 Mai. 1983): „*Quod versus optime facti sunt infinitas non eo, paululum fortasse nimis academici, ut dicitur, et mea magis interesset ea habere, quae ,vir castus et modestus' spurca conscripserit.*⁶²⁴

In illa autem priore epistula nuntiauit se mox Monachium, ubi tunc habitabam, uenturum esse. Tum igitur et saepe postea me meosque uisitauit, qua occasione data plerumque ad clauichordium adibat, ut aut solus aut mecum unum ex suis canticis decantaret. Quorum si quid nobis nimis plabebat, id non bis, sed ter aut quater repetebat. Valde autem amabatur a puerulis meis tum duo et quattuor annos natis, qui cum eum uenientem procul conspexerunt, laetis uocibus clamabant: „*Der Jane kommt*“. Nesciebant enim illud *Jane*, quod e sermonibus nostris arripuerant, uocatiuum, non nominatiuum esse. Risimus hoc ut tirocinium Latinum.

Sed etiam aliae res minusculae causam nobis ridendi praebuerunt. Vt cum Elissa uxor eius Neo-Vlmae in domicilio ad accipiendum me splendidum prandium apparauisset et, ut professori Monacensi aliquid honoris afflaret, uinum pretiosissimum emisset, haec res contra spem euenuit: nam cum mihi Ianus propinauisset, uterque pauxillum hausissemus, ecce haesimus, tacitis ultibus inter nos quaeziuimus, quid agendum esset. Manifestum erat: illud uinum nec Iano nec mihi placere potuit – nobile quidem, sed nimis delicatum et suaue. Tum Ianus noluit aut uxorem aut Bacchum aut fatum accusare, sed leniter ridens egressus in hortum totam lagoenam ad proximam arborem effudit: „*bene tibi*“. Remedium autem nobis praebuit

⁶²² Sic enim prauis magistri enuntiandum esse docent (Seneca, *Phaedra*): *it(e) úmbrosás cingíte siluás*. Quare opinantur Latinam linguam anapaestis aptam non esse.

⁶²³ Hoc titulo postea edidi „Irenaei Amorum quos ad Tulliam scripsit carmina quinque a Valahfrido Strotio edita“. *Vox Latina* 19, 1983, 19–21.

⁶²⁴ Hic laudauit quaedam uerba e praefatione mea, in qua simulaueram me editorem, non scriptorem esse eorum carminum.

aliquid uinum uulgare in frigidario ad cottidianos usus asseruatum. Quod ebibentes risimus laete, quasi nectare et ambrosia frueremur.

Aliud genus iocorum magis ad musicam spectauuit. Anno 1983 haec legi in aliqua eius epistula (sine certo temp.): „[...] nam praeter opinionem / alias res enim in animo facere habui / in operam quandam, quae me nunc maxime tenet, incidi. animo tibi finge me initia canticorum Plautinorum in vetustissimo quodam codice invenisse, quae fortasse ab ipso Marcipore Oppi <scripta>⁶²⁵ per longum tempus trahuntur, puta haec:

M' M' O' M' U & M' M' O' M' & U &
NULLA.SVM.NULLA.SVM.TOTA.TOTA.OCCIDI

(casina 621)

aut hanc:

K' & K' & K' & K' & K' z' i' K' o' K'
SATIN.PARVA.RES.EST.VOLUPTATUM.IN.VITA.

A T Q V V E . I N . A E T A T E . A G V N D A

(Amphitheatro 633)

atque alia nonnulla. Nonne operae pretium erit haec supplere et auribus nostri temporis hominum submittere? quae ego nunc molior, quamvis exitus incertus est. res enim non tam facilis est, ut primo obtutu videatur. – sed quod tibi Sibyllino more scripsi, Sibyllino more tecum conserva. Res adhuc aliquid temporis sibi exposcit.“

Hoc ut intellegamus necesse est historiam artis musicae percensere. Nam e Graecorum canticis praeter quasdam notulas musicas scriptas nonnulla, sed admodum pauca nobis nota sunt, ut celeberrimum canticum Seicili, quod quantum Ianu placuerit, e sonata quadam eius⁶²⁶ cognoscitur. Tum plurimi Latini modi e medio aevo seruantur, quae nunc quoque in usu esse possunt. Sed ex uetustis Latinae linguae temporibus ne una quidem notula ad nos peruenit, quamquam Romanos musicae deditissimos fuisse et notulis Graecis usos esse accepimus.⁶²⁷ Quare si id uerum fuisset, quod Ianus mihi scripsit se Marciporis Oppi (qui ad cantica quaedam Plauti modos fecit) notulas quasdam repperisse, haec res singularis et stupenda uisa esset.

Non tamen credididi, sed nonnullis de causis Ianum aut ab aliorum malitia aut a sua curiositate deceptum esse. Sed hoc quoque falsum erat, ut

625 Supplementum necessarium uidetur.

626 *Sonata super Hosones fidibus acutis aut tibia obliqua atque clavibus*, 1981; cf. Stroh / Kagerer (u, adn. 616) n. 31.

627 Cf. Günther Wille, *Musica Romana*, Amstelodami 1967.

mox apparuit. Non ipse deceptus erat Ianus, sed me decipere uoluit homo iocosus, ut certum documentum esset musicos interdum sapientiores esse quam professores. Sic uterque inter nos et fefellimus et risimus. Mirum est autem Iano illo tempore otium fuisse ad tales lusus excogitandos. Nam tum maxima res urgebat, quae communi opera a Iano et Valahfrido peragendae essent, scilicet *Feriae Latinae* siue *LVDI LATINI*.

De qua re loquor? Anno 1972 Ianus Roboreti in Italia boreali, ubi cum suis tum domicilium habebat, *Ferias Latinas* ediderat, nouum genus ludorum, ad quos non tantum ex Italia, sed e tota Europa amicos tam musicae quam linguae Latinae conuocabat, ut cantica Latina auscultarent utque oratoribus ad declamationes et poetis ad ad recitationes opportunitas datur. Agebatur etiam non sine modis etam fabula scaenica, scilicet *Dulcitus* Hrosuitae Gandershemensis, e quo dramate Ianus postea legitimam fabulam musicam fecit.⁶²⁸ Res tota inaudita erat et quae multos homines attraheret.

Id ipsum igitur genus deliciarum Latinarum Ianus in Germaniam transferre uoluit me amico adiutore eum in modum, ut ipse magis musicas res curaret, ego Latino sermoni potius animum aduerterem. Diu eas iterum iam tradito nomine *Ferias Latinas* uocabamus, denique autem me (iam mense Ian. 1983) suadente eas transformauimus in *LVDOS LATINOS* (sic litteris maiusculis et Romano more V pro U scribendos), quod nomen hominibus magis arridere putabamus. Locum *LVDORVM* autem Ianus Eluacum (Ellwangen) urbem Virtebergensem⁶²⁹ destinauit, quia ibi Dusan Parisek necessarius eius, actor et saltator Brunnae natus, spectacula scaenica quaedam in arce siue castello edere solebat. Vna cum illo uoluit ad nouam uitam artem antiquam pantomimorum reuocare, quae Romanis olim magnopere in deliciis erat⁶³⁰. Quod genus artis non nihil a nostris pantomimis qui dicuntur distabat. Nam cantare solebat tum chorus ad uerba alicuius poetae, quae a symphoniacis adiuabantur; saltabat autem unus pantomimus, qui uarias personas, tam uiros et feminas quam bestias, si necesse erat, sustinebat. Vnus igitur actor siue saltator totum theatrum suo artificio tenebat. Sic magnam spem Ianus in suo Dusano ponebat. Ergo scripsit anno 1983 ineunte (epist sine certo t.): „*pantomimum agere nobis in animo est / amicus enim ille Ellvangensis pantomimus est – / et quidem in commemorationem Paridis II pantomimi, qui anno 83 – ergo commodum ante 1900 annos – a Domitiano occisus est.⁶³¹ / forte fortuna nomen pantomimi*

⁶²⁸ Stroh / Kagerer (uide adn. 616) n. 43.

⁶²⁹ Non Roboretum, ut uult Eva N. (u. adn. 621).

⁶³⁰ Cf. E. Wüst. „Pantomimus“, *Pauly's Realeyclopädie der classischen Altertumswissenschaft* uol. XVIII 3 (1949), 833–869.

⁶³¹ Dicebatur rem habuisse cum Domitiani uxore; cf. Wüst (u. adn. 630) 866. Pantomimi enim etiam magis quam histriones et gladiatores amabantur a mulieribus. – *Paris II* dicitur, quia sub Nerone alias nomine *Paris* pantomimus fuerat.

illius Ellvangensis Parisek est – ergo parvus Paris, hahahae! / speciem et argumentum huius pantomimi nondum possum tibi satis clare describere, nam tota res adhuc in deliberatione est. certum est me incipere et finire debere cum Martialis epigrammate /XI, 13⁶³²/, quid interea faciemus, hercle, haereo – si tibi forte aliquid in mentem veniet, mecum communices velim.“

Die 28 m. Mart. 1983 res iam certiores uidebantur (nam tum constabat etiam de diebus, quibus *LVDI* futuri essent, sc. a d. 23 ad d. 25 Sept. 1983). Tum Ianus duas *acroases musicas*, ut uocabat, edendas esse constituit, quarum prima instrumentis et cantu uocali peragenda esset, altera pantomimo sub titulo *IN MEMORIAM PARIDIS* destinata. Cuius tres partes (sive missus, ut scripsit) futurae erant:

„*PARIDIS HISTORIA / aut aliquid simile / PARAMETAMORHOSES OVIDI – cum recitatione, tibia et fortasse sonis quibusdam AESOPIA canentium choro et binis clavibus / quae alioquin nosti, sed haec erunt paululum, laetiora.*⁶³³ [...] *Velim ut spectatores rideant et genua sibi pulsent et petasos in auram iacent et omnino hilares sint!*“

Credideris iam satis constare de opere pantomimico, sed paulo post Ianus multa reuocauit, cum haec scriberet (d. 6 Apr. 1983): „*Pariscus noster de sua pecunia ambas acroases dabit, acroasis illa pantomimica scilicet d. Saturni, sed solummodo pro Ludorum participantibus, quasi experimentum generale, ut dicunt, sit. / ceterum hodie commodum Dusano scripsi me illum missum, qui Ovidi Parametamorphoses uocatur – quamquam mihi iam omnes metamorphoses „reenarratas“ quoad versus attinet paravi facere nolle – sed me pro isto praeferre, ut „Paris“ fabulam de Venere et Marte saltet et quidem non parametamorphosando, quod in hac fabula non necessarium est. ut ergo vides omnia adhuc in motu quodam sunt, nam bonam rem edere conamur.*“

Vnde discimus aut suspicamus Ianum uersus quosdam e *Metamorphosis* excerptos sic transformauisse, ut modis musicis et saltationi aptiores essent – quos ego uersus ipsos nusquam uidi –, sed postea diffisum huic nimis nouo operi a conatu destitisse. Non tamen omnino de arte pantomimica desperauit. Nam paulo post (epist. d. 12 Apr. 1983) hoc scripsit: „*Commentariolum Ottonis Weinreich⁶³⁴ mitto Parisco nostro, ut de rebus pantomimicis et Paridiacis melius edoctus sit.*“

⁶³² V. 5–7 *Romani decus et dolor theatri / atque omnes Veneres Cupidinesque / hoc sunt condita, quo Paris, sepulchro.* Vnde uidemus quanti Romani hanc artem fecerint.

⁶³³ Addiderat enim ad sua uerba *Introitum et Exitum*, praeterea interludia; cf. Stroh / Kagerer (u adn. 616) n.1.

⁶³⁴ O. Weinreich, *Martials Grabgedicht auf den Pantomimen Paris* (XI 13), Heidelbergae 1940/1941.

Et cum d. 24 Mai. 1983⁶³⁵ scripsisset se totum esse *in nova partitura conficienda*, quae uocaretur *Symphonia bipartita*,⁶³⁶ exultabam spe pantomimi (epist. d. 2 Iun. a.1983): „Quod in Symphonia bipartita *occupatus es, gaudeo – indicas enim hoc nuntio PARIDEM te iam ad finem exegisse – maxime autem inuideo tibi, quod semper eis rebus studere potes, quas agere libet! Nam me officiorum moles male habet, nec ad Musas umquam respiro.“*

Verissima erant suspiria professoris academici, spes tamen uana. Quid igitur? Quid patomimus ille in ipsis *LVDIS* saltauit? Si in *Vniuersi Orbis Tela* (WorldWideWeb) nomen Dusani Parisek quaeris, haec tibi officina quaedam nomine *Dilia* nuntiabit:⁶³⁷ „Für das Schlosstheater schrieb und inszenierte <Parisek> Theaterprojekte auch in der Zusammenarbeit mit dem Komponisten Jan Novak „Metamorphosen“, [...] und gemeinsam mit Jan Novak 1982 [recte: 1983] die ersten „LUDI LATINI“ ein musikalisch-literarischer [sic] Festival mit Erstaufführungen von Jan Novak-Werken und das [sic] erste Teil eines Melodramas [!] von Jan Novak und Dusan Robert Parizek ,In memoriam Paridis‘.“

Sed haec, undecumque fluxerunt, uera non sunt. Dusanus pro saltatione sperata ipse orationem aliquam de arte pantomimica habuit, sermone Teutonico, contra legem *LVDORVM*, quam omnes tum secuti Romanae dictioni studebant.

Quid autem antea actum sit inter Ianum et Dusanum in illa causa pantomimica non iam intellego. Ex epistulis uerisimile uidetur Ianum inuitum a Dusano socio ad opus musicum aliquod coactum fuisse. Nec tamen, quia res incertissima est,⁶³⁸ omnem culpam in pantomimum transferre audeo. Sed haec minora sunt, aliud maius. Renouatio antiqui pantomimi, quam ne aetate renascentium litterarum quidem homines cultissimi temptauerant, Ianus autem unus aggressus est, certe adhuc desideratur.

Hi tamen *LVDI LATINI* primi – nam post Iani mortem plures secuti sunt⁶³⁹ – maximis plausibus ab hominibus accepti sunt. Nam ut taceam de centum uiginti ueris sodalibus nobiscum Eluaci pernoctantibus, quibus hospites plures praesertim ad acroases musicas sese adiungebant, ut taceam de oratoribus et poetis, qui de suis recitabant, de actoribus in scaena nouas fabelllas agentibus, aderant etiam non pauci diurnarii tam stilo quam microphono opus facientes, qui curabant, ut per scripta et audita Germania disceret, quam nouo splendore Latini sermones in Virtembergia effloruissent. Vt *Acta Stutgardensia* (Stuttgarter Zeitung) de „gaudio

⁶³⁵ Hanc epistulam Eva N. (u. adn. 621) iniuria tribuit anno 1894.

⁶³⁶ Stroh / Kagerer (u adn. 616) n.118.

⁶³⁷ <http://www.dilia.eu/component/k2/item/3370-parizek-dusan-robert> (appellaui 10.11.2020).

⁶³⁸ Etiam in libello *LVDORVM*, qui distribuebatur sodalibus, inerat *In memoriam Paridis: Paridis historia*.

⁶³⁹ Fuerunt Augustae Vindelicum a. 1985, Frisingae 1986, Monachii 1993 omnes in memoriam Iani Novák celebrati. Quibus similes accesserunt *Scholae Frsingenses* 1988, 1989, 1990.

*ioco*so *Latino*“, *Tabellari Suebicii* (Schwäbische Post) de „felicibus nuptiis Philologiae et Musicae“ scripserunt. Etiam magis nobis placuerunt *Nuntii grammaticorum* (Mitteilungen für Lehrer der alten Sprachen): „*Iam solaria recte gradiuntur*“ (Die Sonnenuhren gehen wieder richtig.) Nec quisquam improbavit aut ludibrio habuit propositum nostrum. Maxime autem risimus, quod praefectus urbis, qui diu recusauerat, ne patrocinium (Schirmherrschaft) *LVDORVM LATINORVM* susciperet – diffidebat scilicet nostris uiribus et rei nouitati – iam prima uespera post aliquot modos uerbaque nostra ab omnibus hilarissime accepta quasi a Musis Latinis et ipse deuictus subito exclamauit: „*Quam me iuuat patronum esse LVDORVM!*“

Nesciebat fortasse nos iam alium nobis patronum elegisse, non humanum, sed diuinum, nempe Amorem filium Veneris. Cui nos praeter arcum et pharetram citharam quoque tribuimus, ut huic sententiae conueniret: *AMOR DOCET MVSICAM*, innuentes Amoris ui fieri, ut etiam barbari cantare et Latine loqui discerent. Ianus tamen, quasi huic Amoris potentiae diffideret, cum melos iambicum his uerbis „*Amor docet musicam*“ aptauisset (— — — — eqs.) subiunxit in uoce bassa: „*Qui hoc credit, est insanus – qui hoc credit, stultus est.*“ Scilicet musicus sciebat, quantum ars et usus in omni disciplina ualerent,

Quod LVDI tam feliciter euenerunt, eius magna pars erant strenuae mulieres Nouacianaे – nam Elissa Iani uxor et Dora filia maior egregie claves pulsauerunt et Clara filia aequa arte calamo transuerso cecinit⁶⁴⁰ –, nec minus profuit *LVDIS* libellus a Iano compositus sub titulo *Farraginis carminum popularis saporis*, qui duodeuiginti carmina Latina tam ueterum poetarum quam recentium continebat omnia a Iano iucundis modis ad cantum uocibus solis instructa. Eum libellum iam mense Iulio ineunte Ianus absoluerat. Tum enim in epistula etiam rationem reddidit, cur *Farragini* sua ipsius poemata addidisset (epist. d. 11 Jul. 1983): „*simul cum his litteris mitto tibi, mi iucundissime, farraginem carminum popularis saporis ad Ludos Latinos I. hoc genus enim cantilenarum mihi maxime desiderari uidetur. immo verba mihi defuerunt, quia haec tenuis poesis in litteris latinis non curatur* [i.e., si recte intellego, poetae classici tam exilia poemata minus curabant] / *sed tamen poesis sit necesse est /, itaque quaedam proprio marte mihi cudenda erant.* [...] tum enumerat quaedam uetera, mediaeualia, recentia] *ex meis denique placent Culices et illud 7/8 ,de Ariete et lepida Ariadne*⁶⁴¹ / *ne Graecis invidere debeamus eorum 7/8 numeros!/ nisi tibi hoc iam nimis epicureoporcum* [sic scriptum! puto Ianum hanc uocem epicureoporcum

⁶⁴⁰ Prima uespera haec proposita sunt: *Apicius modulatus* (Stroh / Kagerer [u. adn. 616] n. 4), *Columbae pacis et aliud pecus* (St./K. n. 40), *Choreae uernales* (St./K. n. 63), *Mimus magicus* (St./K. n. 18); secunda uespera sola *Aesopia* (St./K. n. 1, u. supra de consilio mutato).

⁶⁴¹ Transierunt in J. N., *Canticum Latina* (Stroh / Kagerer [u. adn. 616] n. 6); ibi *Culices XLVII, Aries XLVIII*,

e suo ingenio nouauisse] *videbitur. / sed mediusfidius etam Quirites nostri propagari debeant! /*

Hoc carmen *De Ariete et Ariadne* nil pertinebat ad Ariadnen Thesei, sed, ut Ianus saepe ludere solebat, nomen accepit a similitudine litterarum *Arietis* et *Ariadnae*. In eo carmine enim bestia lasciuia mira cupidine puellae paene cognominis tacta ei inter femora tundit non quidem membris genitale, sed unum e cornibus – ut mireris, quid haec pulsatio ad propagationem Quiritium ualere possit. Sed sic Ianus interdum etiam in obscenioribus iocabatur.

Septenos autem numeros (7/8) sic effecit, ut in uersu quoque bis spondeum (– –) sequeretur tribrachys (— — —). Sic enim incipit:

Ludunt hilariter gramine in a- — — — — — —
prico ioca iocantes tenera

Nam spondeus quisque, quia e binis longis constat, quattuor tempora habet, tribrachys autem, ut uel nomen indicat, tria. Non intellexisse, quod genus uersuum esset, nisi Ianus ipse *epitritos* nominauisset. Mira doctrina et curiositate enim Hephaestionem metricum Graecum perscrutatus uidetur esse, qui inter quattuor epitritos (omnes *heptachronos*, i.e. septem temporum) tertium eum appellat, qui sit — — —, rarissimum genus, uix ipsis Graecis notum.⁶⁴² Ianus autem etiam id nouauit, quod ultimam longam in duas breues dissoluit, ut hi pedes saltibus citatis arietis magis idonei essent. Sic musicus fines artis sua non magis quam grammaticae auxit. Quantus artifex!

Sed interdum etiam de quaestionibus metricis inter nos parua aut, ut uerius dicam, minima dissensio erat. Nam cum eum monuissem, ut in elegis differentiam singulorum et binorum temporum diligentius seruaret – spectabam autem ad unum carmen e *Farragine* – ille (post multas nimias laudes in me collatas) humaniter me refutauit (epist. d. 26 Iul. 1983). Quae eo libentius hic publico, quod Ianus non saepe tam dilucide de sua ratione metrica disseruit:⁶⁴³ „*sed iuvat tecum de carmine Valerii Aedidui*⁶⁴⁴ *litigare, ubi mihi exprobras me ternas aut quaternas longas* [sc. pro binis] *adhibere. ego vicissim hac longarum varietate gaudeo. quod mihi suades, ut more „humanistarum“ syllabis 1:2 utar, omnino reiciendumst, nam hi / puta*

⁶⁴² Hephaestionis *De metris enchiridion* cap. 3. In metricis me adiuuit Martinus Hose collega harum rerum peritissimus, qui etiam monuit uersus illos epitritos similes esse dimetris iambicis, si in ultimo pedis elemento dissolutionem admittas.

⁶⁴³ Plurima inuenies in: Jan Novák, *Musica poetica Laina: de versibus Latinis modulandis*, ed., praef. est, versione Germanica commentarioque instruxit Valahfridus (W. Stroh), Monachii 2001; cf. ibi p. 16: *Certo non necessarium est servare semper relationem 1:2 eqs.*

⁶⁴⁴ Ap. Gellium 19,9,11, nunc in *Canticis Latinis* III; cf. Stroh / Kagerer (u. adn. 616) n.6.

Tritonius⁶⁴⁵ et alii, qui eum secuti sunt / nimis simpliciter rem tractaverunt, sic ut nauseam parere possent. „musica non subiacet regulis Donati“, ut quidam dixit.⁶⁴⁶ mihi lex est, ut brevis brevis sit et longa longa, sed quam longa non differt, vides me hoc modo etiam sapphicam stropham elaboravisse, quod mihi magis placet ac illud siccum 1:2. mecum stomacharis, quod in medio pentametro pausam feci. at novi quidem opinionem tuam,⁶⁴⁷ sed mihi necesse est respirandum, non tam longum spiritum habeo ac tu, mi grammaticae. sed de his fortasse plura coram. tu enim dcis „utere simplicitate veterum“, sed quorum veterum? an humanistarum? cum quomodo Horatius noster carmina sua canebat, et credo eum nonnulla saltem cantavisse, prorsus nescimus.“

Quid potui? Cessit grammatica musicae. Sed redeamus ad cantica *Farraginis*. Haec igitur nos in *LVDIS LATINIS* cottidie a mane cantabamus cantus communes nostros saepe moderante Georgio Leonhardt tam musico bono quam grammatico, qui eo tempore me in officiis uniuersitatis adiuuabat. Nemo certe ante Ianum talem libellum conceperat. Neque enim inerant ridiculae illae interpretationes, ut *O abies, o abies* (O Tannenbaum, o Tannenbaum) aut *Sancta nox, tacita nox* (Stille Nacht, heilige Nacht) ad tritas melodias decantandae, sed carmina elegantia nouissimis modis adaptata. Vnum saltem inerat meum, in quo etiam modos Nouacianos leniter mutauit, ut gustibus uulgi magis conueniret. Neque iniuria ea cantilena uulgaris Iano semper ualde displicebat. Scripseram enim primum:

LVDI sunt LATINI LATINI,
Latinum carmen cani-canimus.
Fecit non Rossini Rossini,
sed Ianus noster musi-musicus.

„*Di melius!*“ ille exclamauit, „tu meum nomen honestum cum tam friuolis uersiculis tuis coniungis!“ Paenitebat, et mutauit in

Fecit non Rossini Rossini,
sed laetus noster ani-animus.

Qua conuersione etiam homoeoteleutum, *canimus-animus*, diligentius expressum est. Lenita est igitur Iani ira, sed odium quoddam remansit.

⁶⁴⁵ Petrus Tritonius Conradum Celtin magistrum secutus edidit a. 1507 *Melopoias sive harmonias tetricenticas*, quas postea Ludouicus Senfl et Paulus Hofhaimer imitati sunt.

⁶⁴⁶ Quis id dixerit, nescio. Ianus fortasse in suum usum deflexit uerba S. Gregorii (Migne, Patrologia Latina 75,516): ... *indignum vehementer existimo, ut verba caelestis oraculi restringam sub regulis Donati.*

⁶⁴⁷ Puto enim in illa caesura pentametri, quia neque hiatus ibi admittitur neque elementum anceps existit, in communis pronunciatione pausam non fuisse.

Neque gloria huius *Farraginis* intra LVDOS stetit. Nam ego eum libellum ad antistites bibliopolii *Artemis* Monacensis portaui submissus commendans ut publicarent. Ei autem inter alios consultores adierunt Manfredum Fuhrmann tum in Germania lumen Latinistarum musicaeque minime imperitum, qui impense ut libellus ederetur suasit, hac tamen condicione, ut numerus ad quinquaginta carmina cresceret eisque cantus clavium accinentium adderetur. Obsecutus est Ianus. Id autem ultimum ex eius operibus erat, cuius uita iam ad exitum uergebat. Nec uidit ipse, quanto studio illa aucta *Farrago*, cuius titulus futurus erat *Cantica latina*,⁶⁴⁸ post eius obitum in tota Germania a doctis et indoctis cantaretur. In una hedomade, memini, DCC exempla uendidimus. Nec Caesar nec Cicero eo tempore Nouacum Latinum uincere potuerunt.

Ille autem, quasi mortem, de qua nos minime cogitabamus, iam tacito sensu praesentiret, quamquam *Medeam* Senecae et *Plauti Menaechmos* tractandos sibi in futurum proposuerat, ardenti animo ad nouos LVDOS LATINOS festinabat. Et licet praefectus urbis Eluaci uehementer nos oraret, ut hoc decus LVDORVM ciuitati suae seruaremus – laudauit etiam Ouidi illud *parta tueri* (ars amat. 2,13) – nos pari studio recusauimus, ego Dusani memor, Ianus propter paruitatem urbis. Is autem, qui semper se Italum ciuem uolebat, Germaniam ut patriam *Regis alnei* (Erlkönig) ridebat, iterum ad Roboretum tamquam ad ueterem patriam tendebat, in qua florebat etiam illa *Academia Lentulorum*, cuius ipse sodalis erat. Quae urbs tamen illi magis quam mihi arrisit. Nec libentissime cum Iano in autocinetu iter Roboretanum ad autopsiam loci feci,⁶⁴⁹ praesertim cum is auriga audacissimus esset. Quod autem maximum erat: non putaui fieri posse, ut iam anno 1984 nouos LVDOS instauraremus. Quae curae apparent ex epistula, in qua Ianus (fere m. Nou. 1983 exeunte) cum alia tum haec scripsit: „*si primam hebdomadem Septembbris liberam Ludis habituri simus [...], tum Ludi habendi sunt hoc anno 84 aut numquam, nam nemo postea nobis credet nos aliquid serio facturos esse. [...] quem autem socium mihi ad Ludos parandos eligam, nescio neque cogitare volo, nam sine te Ludi fieri vix possunt.*“

Postea autem me non nihil suscensem placare studuit humaniter et iocose: „*tu mihi quodam modo obicere videris me musicam modo curare, quod iam Roboreti sensi. [...] quid ergo, vis ut grammaticam potius curem? qui praeter modos scribendos stultus sum. quin tu dic aperte, si tibi aliquid in me non placeat, dices familiari tuo.*“

Quam hoc dignum amicitia! Sed tum mala ualetudo corporis et moles molesta negotiorum me a LVDIS Roboretanis, quales Ianus iam aestate exeunte futuros sibi proposuerat, auocabant eumque enixe rogaui, ut rem

⁶⁴⁸ Stroh / Kagerer (u. adn. 616) n. 6.

⁶⁴⁹ Hoc iter ante LVDOS LATINOS primos factum esse iniuria statuit Eva N. (u. adn. 621).

paululum differret. Et ut sciret me ad ultima paratum, haec scripsi (epist. d. 7 Dec. 1983): „*sed utcumque tibi uidebitur, scito ad LVDOS proxima aestate faciendo nouum tibi socium grammaticum esse quaerendum [...]. quod si feceris, non equidem stomachabor tibi, nam et ipsi tibi me perpetuo amoris uinculo sentio coniunctum et tua opera musica ut per orbem diuulgantur opto ex animo –, meam tamen fortunam ualde complorabo: tamquam liberi mihi hi LVDI e bracchiis atque adeo ex ipso sinu patris erepti esse uidebuntur. sed ualeant LVDI, ualeat Ianus ipse! [...] uita atque salute ne LVDOS quidem potiores habere debo.*“

Vicit paene haec mea suada. Nam aliquanto tempore post Ianus ipse de Roboretano consilio dubitare coepit. Sed eheu quam frustra omnes hae disceptationes nostrae fuerunt! Non mea salus et sanitas, ut opinabar, in discrimen uocabatur, sed Iano pessimum fatum imminebat, quod omnia nostra consilia ad irritum redacturum erat. Cuius fati prima uestigia uel semina praenuntia iam in quibusdam ultimis operibus, ubi soni dissoni de industria appetuntur, praesentias, ut in *Sonata super Oσον ζηζ*⁶⁵⁰ et in *Sonata ecclesiastica* (Sonata da chiesa),⁶⁵¹ cuius parti secundae suprascripta est *Corona spinea*, diuinum opus, plenum tristitiae, non uacuum solatio.

M. Aprili a. 1984 Ianus Losannae (Lausanne) erat, ut suas *Elegantias tri-pudiorum*⁶⁵² audiret. Iam tum de pessimo statu corporis et mentis questus esse dicitur, ut exclamaret: „*Omnia male miht cedunt: insanire coepi*“. Medici primum tabacum dissuaserunt – quam abstinentiam ipse ualidum remedium credidit –, sed cum diligentius inquisiuissent et de canere cerebrali suspicati essent, dissectionem capitis adhibendam censuerunt. Post illam mihi mense Maio semel eum uisere licuit: semisupinus in lecto iacebat, mitra quadam circa caput obuolutes, nempe ut uulnus sectionis tegeretur. Ergo cum inter nos conspexissemus, uterque exclamauit: „*Corona spinea*“! Ille autem: „*Valde spero me aliquando saluum uos saluos esse uisurum.*“ Quae spes fefellit. Ne in epistulis quidem aliquid consolationis erat. Nam meae quidem ad eum perlatae non sunt.

Cum autem d. 17 m. Nou. a. 1984 nuntius de Iani morte percrebruisset – me telephonice appellauit Dora filia – statim uocauerunt me in stationem radiophonicam Bauaricam, ut epitaphium aliquem dicerem. Erupi igitur in hanc stropham alcaicam:

Eheu Latine heu rumpere barbite,
frusta huc et illuc disice tinnula!
Ianus iacet: fregisse docta
plectra fidesque iuuat sonoras.

⁶⁵⁰ Stroh / Kagerer (u. adn. 616) n. 31.

⁶⁵¹ Stroh / Kagerer (u. adn. 616) n. 107.

⁶⁵² Stroh / Kagerer (u. adn. 616) n. 73.